

FERIA SECVNDA
MEDITATIO.

Plenum est hoc euangelium mysterijs salutarijs fratres: sed vt ea fructuosius meditemur, concedamus oportet Bethaniam, vbi illa geruntur: è pago etiam, & domo illa deuotionem animi concipiamus, ibi Christum adoremus, & omnia illa loca & mysteria veneremur; ex illa Bethania ad aliam assurgamus: est enim Bethania locus afflictionis, exauditionis, responsionis, sed cuius? Christi afflictionis & nostræ. Ibi Christus singularè afflictionem sensit ex vnctionibus Magdalene, quibus mors sua & sepultura subeunda designabatur. Nos eadem de causâ affligere corda nostra debemus; neq; propter memoriam crucis Christi tantum, sed propter delicta nostra, propter quæ passus est Christus. Hinc misericordiam ab eo imploremus: exaudiet nos, qui pro nobis antequam essemus vt peccaremus mortuus est. Respondebit verò nobis Christus vnctione suæ misericordiæ, & gratiæ, & donorum, dignos etiam faciet horum mysteriorum fructu, vnde perfectâ eius obedientiâ imitemur: id enim simul significat Bethania. Cõsideremus igitur huius sacri euangelij historiam. Reuertebatur ab Ephræ IESVS, quò diuerterat, vt ne alio tempore quam pater præstituerat mortem obiret. Prædixerat discipulis futurum vt crucifigeretur Hierosolymis, quò properabat expedire, ex cello animo præcedens stupētes & timentes. Sanauerat cæcum ante ingressum Hierichū-
Luc. 18.
Luc. 19.
Matth.
20.
 tis, in eadem vrbe iustificauerat Zacheū Publicanum, decedens Hierichū te cæcos item duos illuminauerat. Erat ille ascensus Hierosolymitanus celeberrimus, magna illū turba precedebat & sequebatur, Mater eius Maria virgo cum mulieribus consequebatur. Cum hac celebritate peruenit IESVS Bethaniam ad radicem montis Oliueti ad Orientem: exceperunt illum hospites sui, Lazarus, Maria Magdalena, & Martha; sed cana illi parata est apud Simonem leprosum, quē scilicet a lepra IESVS sanauerat, in ipsum credentem; quem necessum est fuisse vel cognatum Lazari, vel amicum. Itaque intelligitur cana cõmuniter ab vtriusque fuisse Christo parata, à Simone, & Lazaro cum fororibus. Contemplandum totum hoc iter ab Ephrem Bethaniam vsque, Christi alacritate ad mortem properantis illustratum, miraculis ornatum, magna comitantium frequentia

& laudatione nobilitatem, quæ letum iter faciebant. Contra verò Christi animum si spectes, si Mariæ virginis Matris, Apostolorum, mulierum, varia occurreret affectuum facies. Christum incipiebat mortis propinquæ naturalis quidam timor & mœror, voluntarius tamen mouere, quem tamen infinita animi magnitudine sustentabat. Maria virgo secundum Christum dolenter quidem, magnanimiter tamen hoc iter faciebat. Apostoli verò & mulieres stupebant quidem & timebant, hinc passibus corporis sequebatur iter, illinc animo refugiebant; quos tamen Christi Spiritus fulciebat diuinitus. Ob hanc rerum faciem Ecclesia ante Christi crucem aliquot dies eius passioni consecrat. Sed doce nos benigne IESVS mysteria aliquot huius euangelij. Volui ante sex dies Paschæ celebri cænâ cænâ meam vltimâ & passionē cõmemorare, vt qui in animo meo erat passionis sensus & cænæ vltimæ, cum repræsentarem, & qui in animis discipulorū & matris erat doloris & timoris sensum lenirem. Ad Pascha autē verum hanc cænâ referebam, & quâ ad octauam psalmum ipsâ canebam dulcem & salutarem. Eram in Bethania, hoc est in meditatione futuræ afflictionis, in domo Simonis, id est obedientiæ meæ ad Patrem; quæ eò me erat redactura, vt non solum essem futurus quasi leprosus & percussus à Deo & humiliatus, sed cruci essem assignendus crudelissimè. Adhibui tamen Lazarum à mortuis suscitatum, quandoquidem simul de mea resurrectione sentio cogitabam; Mariam vngetem, quæ meam mortem & sepulturam ante oculos omnium constitueret; Martha ministrabat, quæ vt vitam actiuam significat, ita etiam operosam meditationem mysteriorū, vnde animi leuatio oriri solet, & diuinarum rerum contemplatio. Hæc vt deuotè percipias mysteria, gustus est vobis parandus ex pijs desiderijs, & meditationibus, & operibus. Hæc frequenter versate animo me authore, & mecum hanc cænâ accipietis, refectionē scilicet internā, dulcē, ac fructuosā; & vngetis nō solum pedes meos, sed etiā caput: simul enim me iuuante, & in vitæ actiua efficacia proficietis, & in contemplatiua luce & suauitate. In me quicquid preciosi habetis conferte, mihi offerte cor vestrum, mihi date animam, mentem, spiritum, mortificatos

If. 33.

Jo. 12.